



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius
Marius Victor, Claudius**

Lvgdvni, 1536

Capvt XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12149

Imminet exitium, nam incensa libidine tellus
 Ignibus ardebit: restinguet fulminis imber,
 Quæ non extinxit feruentia crimina fletus.
 Ipsa in perpetuas soluetur terra fauillas,
 Conseruans cineres post dira incendia viuos:
 Tu nunc linque domum, perituras desere terras,
 Nam rea cum dignis subsident arua colonis.
 Sed tamen interea ne te cõiunxeris illis,
 Ne forte impendens lætum coniungat eisdem:
 Virgineamq; abduc sobolem, solatia coniunx
 Augeat: ñs tantum socijs contentus abito:
 Accelerate fugam, & contendite tramite recto:
 Nec subuertendas quisquã respexerit vrbes:
 Este mali expertes, pœnas quicumq; videbit
 Sentiet, atq; suæ mortis spectacula secum
 Quæ meruere feret: saluandis terror abesto.
 Hec pater. ast illi properant abscedere terra,
 Inciduntq; moras, crudeliaq; arua relinquunt.

CAPVT

XVII.

COEperat obduci densa caligine victum
 Atq; ignota prius demittere murmuracœlũ
 Nec sic vt tonitru crebro quum percitus ether
 Ostentat pavidis innoxia fulmina terris;
 Sed prorsus

Sed prorsus finale malum terrore minaci
 Tetra per aërios mittebat signa tumultus.
 Tendebant moniti simul & mandata tenētes
 Concessam & rectis ad sedem vultibus ibant.
 Callidus alta petens sed qui subuerterat Euan
 Serpens, foemineam consuetus tangere mentem,
 Nil quoq; formidans animū tentare virilem.
 Inspirat miseræ cognoscere velle ruinas,
 Et simul euafas visu deprendere clades.
 O crudelem animi nō iam tibi sufficit vnam
 Succubuisse dolo; & funesta clade nepotes
 Affecisse suos; o stulti insania sexus.
 Quid stolidas affectas frustrari parte bonorum
 Dum mala nosse cupis; Si nos exempla priorū
 Non terrent, nostro spes exempla timori.
 Vel post te pereat scrutandi dira libido
 Illicitum quod scire fuit, vetitumq; tueri.
 Respicias tantum, nec narratura videbis.

*Apostrophe
 ad Lothvxo
 rem.*

CAPVT

XVIII.

ERgo vbi maiorem vicina ex vrbe tumultū
 Audiuit mulier, vultū deflexa retrorsum
 Vix primo in visu restrictis motibus hæsit,
 Cernere desistens quum coeperat: inde gelato
 d Sanguine

*Metamor=
 phosis vxor=
 is Loth.
 Gen. 19.*